



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

IV. An res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur, supernaturaliter possit emittere aliam actionem efficienter suiipsius productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

LXXXII. Respondeo distinguendo consequens, ergo causalitas causæ in effectum egreditur à causâ existente per aliam, quàm sit, causalitatem, in qua alia includatur causalitas totalis in causam, egressa ab effectu concomitanter, & eodem instanti, concedo consequentiam; sed tunc habemus intentum: in qua non includatur, nego consequentiam: vide objectiones dubii sequentis, & adde dici posse causalitatem causæ in effectum, egredi à causa existente per ipsammet causalitatem, ut simul egressam ab effectu, per quod etiam vitantur dicta absurda; quia illa per se ipsam tantum non faceret alteram suarum causarum existentem, sed simul cum altera causa: quòd autem hoc dici possit, patet à simili in causalitate totali indivisibili duarum causarum, simul eodem instanti se mutuo causantium formaliter quoad primum esse formale, sicut hæc se mutuo causarent quoad esse primum effectum; nam illa non magis præsupponit esse formale suarum causarum, quàm hæc præsupponat esse effectum harum.

LXXXIII. Objicies 2^o. cum P. Poncio & plurimis aliis (in quo iterum decipiuntur) esse causam, prius naturâ, &c. est esse independens ab effectu, sive aliquid ita posse concipi, ut nec in se, nec in suis principiis involvat existentiam effectus; sed si causæ se mutuo causarent quoad primum esse, id fieret, ergo, &c.

LXXXIV. Respondeo negando majorem, quæ gratis omnino ab Adversariis supponitur, & non probatur; imò, illâ datâ, quærunt nugatoriè tot & tam præclari Philosophi, *an duæ causæ possint esse sibi invicem causæ quoad primum esse*; sicut nugatoriè quæreretur, *an aliquid possit esse simul independens & dependens ab effectu, an aliquid possit ita concipi, ut in se & suis principiis simul non involvat & involvat existentiam effectus*, in quo est manifesta contradictio, & quæstio indigna tantis Philosophis: deinde esse causâ, prius naturâ, &c. nihil est aliud quàm communicare esse effectui, & hoc præcisè positò, & quòlibet aliò per possibile vel impossibile præciso, haberetur causa, prius naturâ, &c. ut omnes fateri debent à definitione causæ. Ex his

LXXXV. Colliges, quòd, ubicumque supra diximus, *esset prius naturâ, præsupponeretur, &c.* alterutro horum modorum debere intelligi *esset vel causa, vel causalitas*: cum verò diximus, *esset posterius, postponeretur, &c.* hoc modo, *esset effectus*.

LXXXVI. Objicies 3^o. si duæ causæ possent sibi invicem esse causæ in eodem instanti reali, possent naturaliter, ut convincit confirmatio 4^a. sed hoc est omnino falsum, ergo, &c.

LXXXVII. Respondeo in primis pro causa materiali & formali, satis convinci non posse se mutuo naturaliter causare, quia materia naturaliter educi non potest ex forma à substantia basi conditincta: pro causis autem efficientibus, si effectus est univocus cum sua causa substantiali, ut ignis cum igne; vel univocus cum sua causa accidentali, se mutuo naturaliter causare non possunt, magis, quàm simile naturaliter agere possit in simile antecedenter, aut concomitanter; sic enim naturaliter frustra, & in infinitum contra experientiam agerent: si æquivocus & imperfectior suâ causâ, infra docebimus imperfectius non posse ut causam adæquatam producere perfectius.

An res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur, supernaturaliter possit emittere aliam actionem efficienter suiipsius productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam.

Ante Resolutionem

LXXXVIII. **A** Suppono nihil posse sibi dare esse positivè primum, nisi Deus ens à se; quia nihil indifferens & indeterminatum ad existere, aliud similiter indifferens & indeterminatum ad existere, determinare potest ad existere, ut patet: deinde primum agere supponit existere, ut lumine naturæ notum est, & talem actionem emittere, supponit elevationem supra vires suæ naturæ; nihil autem elevari potest non existens. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

LXXXIX. **D**ico; res eodem instanti reali, quo à solo Deo v. g. producitur, supernaturaliter potest emittere aliam actionem suiipsius efficienter productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam, eodem instanti reali & rationis, quo à solo Deo producitur.

LXXXX. Probatur; optimè intelligitur, ex dubio præcedenti, supernaturaliter materiam sustentare & sustentari à forma; formam denominare & denominari à materia; ignem A. producere & produci ab igne B. concomitanter, & in eodem instanti reali & rationis; ergo similiter optimè intelligitur materiam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione educivâ ex seipsâ; formam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione educivâ, ac per consequens unitivâ ex seipsâ; ignem produci, & producere actionem sui efficienter productivam concomitanter & in eodem instanti reali & rationis: probatur consequentia, quia eadem, & solæ rationes, ut infra patebit, quæ militant contra hæc, militant contra illa.

LXXXXI. Subsumo: sed in primo casu, materia prima causat seipsam, quoad primum esse causæ materialis, per actionem negativè primâ; quia non habet aliud esse causæ materialis in illo instanti, licet habeat concomitanter aliud esse effectum & causæ formalis: & in secundo casu, forma causat seipsam quoad primum esse causæ formalis; quia non habet etiam aliud esse causæ formalis in illo instanti, licet habeat concomitanter aliud esse effectum & causæ materialis: & tertio denique casu, ignis causat seipsum quoad primum esse causæ efficientis; quia non habet primum illud esse ab alia causa efficiente sui ordinis; nam causalitas, quâ illud habet, non est causâ, nec in illo instanti, sive reali, sive rationis, habet aliud esse effectum, ergo, &c.

LXXXXII. Objicies 1^o. ex P. Oviedo Physicæ contrav. 9^a. punct. 1^o. ex identitate numerica præcisè ejusdem secum, repugnat idem recipi in seipso, idem fieri à seipso: unde, ille idem, *mibi quidem difficile est idem fieri à seipso, sed paradoxum sapit dici idem in seipso recipi posse*, ergo, &c.

LXXXXIII. Respondeo negando antecedens pro prima parte, 1^o. quia sicut ex identitate specifica non repugnat, saltem supernaturaliter, unum recipi in alio ejusdem secum speciei & unum fieri ab alio ejusdem secum speciei; ita nec ex identitate numerica præcisè repugnat, idem numero recipi in seipso, idem numero fieri à seipso, &c. Deinde

potest una materia supernaturaliter educi ex alia, non secus ac anima rationalis ex materia, & forma materialis creari (uti lib. 1^o. dif. 3. d. 5^o. probatū est) quidni simul & alia actione creari, & hoc ipso factū, ex seipsa educi: ulterius reproducat Deus eandē materiam in locis contiguīs, non apparet, cur non poterit illas per unionem realiter distinctam continuare eodem instanti: si sic, quidni & unam poterit per educationem realiter distinctam eodem instanti ex alia educere; denique creet Deus materiam, & materiam illam eandem per actionem aliam talem producat, quæ necessariò cesset cessante materiā conservari per creationem, materia erit causa materialis sui ipsius, ut constat ex dictis dubio cit^o. sed hoc fieri potest sine ulla prorsus repugnantia: unde, quod P. Oviedo paradoxum, nobis rationi consonum omnino est.

LXXXIV. Confirmatur 1^o. Resolutio, causa quælibet potest se supernaturaliter causare (ut sequitur ab æquē forti ex dictis; quod forma connaturaliter creata, possit supernaturaliter educi) in eo genere in quo causat, pro diversis instantibus, ergo & pro eodem: Probatur consequentia, quia causalitas & recausalitas non alligantur instanti reali vel rationis, magis quàm effectus & reffectus; & illa, quæ hoc instanti reali vel rationis dicitur recausalitas, in instanti priori fuisset causalitas simpliciter suæ causæ quoad esse negativè primum.

LXXXV. Confirmatur 2^o. causalitas sive productio quoad primum esse, & recausalitas sive productio ejusdem quoad secundum esse, sunt ejusdem perfectionis & intrinsicæ entitatis; sed potest dari supernaturaliter recausalitas sui ipsius, ergo, & causalitas sui ipsius, ac per consequens potest causa quælibet supernaturaliter, &c.

LXXXVI. Nec dicas involvi implicantiam in causalitate ejus quoad primum esse, cujus est causalitas; eò videlicet, quod idem sit prius seipso quoad primum esse, præsupponatur sibi ipsi quoad primum esse, sit aptum concipi ante suam causalitatem, & non sit, &c. quæ non sequitur in recausalitate, saltem quoad idem esse; sed tantum esse prius quoad primum esse, seipso quoad secundum esse; &c. ne id dicas, inquam, quia in causalitate dicta non sequitur, quod idem sit futurum prius seipso quoad primum esse, præsupponendum sibi ipsi quoad primum esse, fore aptum concipi ante suam causalitatem, & non fore, &c. nam fusè supra ostendimus in his apertè supponi falsum, & solum sequi causalitatem fore causalitatem, in idipsum à quo egreditur, sive cujus est causalitas, quod posse fieri probavimus; quia causalitas in effectum non debet in aliquo instanti, sive reali, sive rationis, esse posterior, aut postponi causæ à qua eodem instanti causatur, aut non posse concipi non conceptā causā, & causam posse concipi illā non cōceptā, sed solum debet illa ipsi cōmunicare esse.

LXXXVII. Nec intes, si hoc sufficiat, non erit ratio, cur in causis naturalibus univocis unum sit potius causa, quàm aliud, & cur effectus non sit causa. Quia illud erit causa, quod erit prius tempore introducens dispositiones ad formam introducendam, prout naturaliter introducunt omnes causæ secundæ.

LXXXVIII. Dixi in conclusione, *causa, &c.* potest supernaturaliter sibi dare primum esse, &c. 1^o. quia si naturaliter posset sibi dare primum esse, frustra ignis A. introduceret dispositiones in ligno ad

producendum ignem B. quia illum non produceret, sed ignis B. seipsum, & sic de aliis: 2^o. quia ignis & actio per quam daret sibi primum esse, æquē essent indeterminata ad existere, ergo debent aliunde à causa materiali determinari ad existere. 3^o. non potest causa naturaliter accipere primum esse à suo effectū, ut patet ex Dubio 3^o. ergo à fortiori sibi ipsi illud dare non potest.

LXXXIX. Objicies 2^o. nihil indeterminatum & indifferens ad existere, vel non existere, potest determinari ad existere, nisi per aliquid realiter determinatum ad existere; sed si causa accipiat primum esse à suo effectū vel causalitate propria, unum non erit magis determinatum ad existere, quàm aliud, ergo causa non potest accipere primum esse à suo effectū, vel causalitate propria sive à se egrediente.

c. Confirmatur, actio non potest egredi ab eo quod non est, sed si actio egrederetur à causa, quam quoad primum esse produceret, egrederetur ab eo quod non est, ergo, &c.

CI. Respondeo concessā majore, negando minorem, quia supponimus causam concomitantem, & in eodem instanti reali & rationis produci à Deo per unam actionem totalem aliam sui productivam, & habere actionem etiam totalem similem illi, quæ produceretur quoad secundum esse, à se manantem, sui similiter productivam; sicut enim non repugnat actionem productivam solis, illuminationem ejus & lucem, concomitantem & eodem instanti reali & rationis naturaliter esse; ita non repugnat illam (saltem supernaturaliter) concomitantem & eodem instanti reali & rationis esse: nam tota repugnantia hujus maxime petitur ex superfluitate actionis secundæ totalis, per quam causa produceretur, & quæ acciperet esse, quod aliunde haberet, quam superfluitatem, Deus potentia suā absolutā vincere potest.

Ad Confirmationem

CI. Respondeo concessā majore, quia quod non habet existere, non potest determinare ad existere, distinguendo minorem: sed si actio egrederetur à causa, quam quoad primum esse produceret, egrederetur ab eo quod non est antecedenter, concedo minorem: ab eo quod non est concomitantem, & per actionem totalem Dei determinantis ipsum ad existere, & simul per actionem aliam totalem ipsiusmet quoad primum esse productivam, nego minorem; quod autem non debeat egredi ab eo, quod antecedenter existit, centies monstratum est.

CI. Instabis ex P. Poncio Physicæ lib. 2^o. Disp. 11^a. illa secunda actio totalis esset omnino superflua & otiosa, quia per illam solam non posset effectus poni, & effectus æquē benè, & æquē necessariò fieret per aliam solam actionem Dei, quam per secundam simul cum illa, ergo, &c.

CI. Resp. negando antecedens: ad ejus probationem, verum quidem est, quod per illam solam non posset poni effectus, quia cum ipsa & effectus non necessariò sint, sed contingenter, debent determinari ad esse ab alia causa existente; posset tamen effectus per illam solam conservari, quia semel determinata ad existere, & habens existere, non est cur ipsa secunda actio pereat pereunte primā, quia ab illa non habet esse; nec est etiam, cur pereat causa, à qua egreditur, quia illa habet esse, etiam totale, ab hac secunda actione, ut suppono, ex quo patet, quod

quod causa non æquè bene fieret per solam primam actionem, quàm per utramque.

CV. Urgebis, saltem sequitur, quod actio rei à re emanans non sit nisi conservatio rei jam per Deum producta, ac proinde quod non det primum esse, sed esse conservatum & secundum, ergo, &c. Probatur assumptum, quia actio quæ Deus rem producit, est re prior naturâ: actio verò quæ res seipsam producit, est re naturâ posterior; repugnat autem actionem esse re naturâ posteriorem, & tamen esse concomitantem (quod requiritur ut ad primum esse rei, prout contra esse conservatum & secundum distinguitur, & non solum ad secundum, terminetur) cum rei productione, quæ sit in priori, quàm res sit, ergo, &c.

CVI. Resp. negando assumptum, quia ad hoc ut actio terminetur ad esse conservatû, debet res prius in aliquo instanti reali vel rationis extitisse, quod hic non fit, quia sic actio rei à re emanans ad rem terminatur, ut sit eodem indivisibili instanti intrinsicè objectivè, quo est prima ejusdem à Deo productio, licet dicatur naturâ posterior illa, quatenus ab ea tanquam causa emanat, ut supra vidi-mus: unde ad probationem assumpti patet; quid autem alii, qui prioritatem naturæ explicant per prioritatem instantis objectivè distincti ab instanti posterioritatis naturæ, solidè respondere possunt, non satis apparet, nisi fateantur rem ab illa secunda actione non accipere primò esse & esse primum, sed secundò & esse secundum, sive conservatum, prout opponitur primò incipienti.

CVII. Objicies 1^o. Patres & Doctores Scholastici omnes inferunt distinctionem realem Personarum in divinis ex Relatione producentis, quæ est in una Persona respectu alius; sed si idem posset seipsum producere non rectè inferrent, ergo, &c.

CVIII. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem, sed si idem in increatis seu divinis posset seipsum producere, non rectè inferrent, concedo minorem; si idem in creatis tantum, & non in divinis, posset seipsum producere, non rectè inferrent, nego minorem: quod verò idem possit in creatis seipsum producere fusè probatum est, nec hic valet sequela à creatis ad divina, ut statim patebit: quod autem in increatis seu divinis idem non possit seipsum producere, Ratio est, quia vel id fieret supernaturaliter, vel naturaliter, ac proinde necessariò, quia omnes actiones Dei ad intra & naturales, sunt necessariæ? non primum, quia non datur causa potentior personâ divinâ, quæ illam ad effectum supra vires suas elevet, quod requireretur: non etiam secundum, 1^o. quia illa productio naturalis sui ipsius esset omnino superflua & otiosa, sicut secunda productio Filii à Patre & secunda productio Spiritus sancti à Patre, & Filio, & sic de qualibet actione naturali secundò productiva totaliter ejusdem effectus: 2^o. Pater esset magis, vel saltem æquè potens, ut Filium Secundò produceret, quàm ut se produceret, ut fatebuntur omnes, ergo si se naturaliter, ac proinde necessariò produceret, quidni & Filium secundò produceret: 3^o. si se naturaliter produceret, & secundò Filium, quidni infinitus? in quo est superfluitas, ut patet: 4^o. si una persona seipsam produceret, quidni & sibi similem à se solo numero distinctam, imò & infinitas tales, produxit, quod est hæreticum: 5^o. denique in divinis effectus, nec supernaturaliter, nec naturaliter producit suam causam, ergo nec seipsum:

consequentia patet, quia in creatis solum inferimus idem posse producere seipsum, quia à suo effectu supernaturaliter produci potest quoad primum esse: antecedens est de fide.

CIX. Objicies 4^o. Sancti Patres dicunt esse impossibile idem, tam in creatis, quàm in divinis producere seipsum, puta quoad primum esse, ergo non tantum in divinis, sed nec in creatis idem potest producere seipsum: Probatur antecedens 1^o. ex Athanasio lib. 2^o. de Propriis personis, *nemo sibi ipsi Pater, Pater est*: 2^o. ex Epiphânio hæresi 57. *si Pater est, seipsum generare impossibile est*: 3^o. ex sancto Cyrillo Alexandrino lib. 1^o. in Ioannem c. 2^o. *necessariò à generante genitum seipsa distinguitur*: 4^o. ex Hilario lib. de Synodis post octavum Canonem Orientalium *cum non possit nisi alius, atque alius esse generans & genitus*: 5^o. ex Augustino lib. 1^o. de Trinitate, cap. 1^o. *qui putant ejus potentia esse Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura; nulla enim res seipsam gignit, ut sit; ergo, &c.*

CX. Respondeo idem in divinis non posse producere seipsum, esse sufficienter probatum Resolutione ad objectionem tertiam: pro creatis autem distingo antecedens, Sancti Patres dicunt esse impossibile idem non productum à Deo concomitantem, & eodem indivisibili instanti, sive reali, sive rationis, seipsum producere, concedo antecedens; & ratio hujus sumitur ex objectione secunda, nec aliud possunt velle sancti Patres citati: productum à Deo concomitantem, &c. nego antecedens; nam id posse fieri clarè patet ex Resolutione hac & præcedente: unde dic Patres loqui de potentia ordinaria, non verò de absoluta. Ex his

CXI. Colliges aliquid divinitus posse seipsum primò producere, & primum esse dare; sed non posse positivè primam sui productionem ponere, ob rationes supra datas.

DUBIUM V.

An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus.

Ante Resolutionem
CXII. **A** Suppono per causam totalem intelligi eam, quæ talis est, ut, sive præsentem, sive absente aliâ causâ, ponat totum effectum, ita scilicet, ut cessante omni aliâ, & ipsâ solâ permanente, permaneat effectus. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

CXIII. **D**ico 1^o. contra omnes Scotistas, nominatim Poncium, & Thomistas frequentius, nominatim nostros Compl. & Cursum Thomistarum, Vasquez in 3. p. Disp. 29. c. 4^o. &c. idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, sive formalibus, sive efficientibus, ita Nominales & Cajet. 1. p. q. 52. art. 3^o. è Societate Suarez, Valentia, Hurtad. Arriaga, Oviedus, &c.

CXIV. Probatur, quia possunt 1^o. duæ causæ materiales supernaturaliter sustentare eandem formam: 2^o. duæ formæ possunt supernaturaliter informare unam materiam: 3^o. duo ignes tertium producere possunt supernaturaliter per actiones non attemperatas, sed totales, eo modo, quo ab invicem separati illum producerent, ergo, &c. consequentia patet: probatur antecedens, quia